

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Mantissa De Avibvs Exoticis Ad Nostrates Accedentibvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068



MANTISSA

DE AVIBVS EXOTICIS AD NO- STRATES ACCEDENTIBVS.

I. De Aquilis.

Nieremb.
Hist.
Exot. I.
10. cap.
30. 31.

Ad aquilae pertinent *itz-quaubtli et tlacoquaubtli* Indorum nec non Leonis Africani *nesir*. Venustum illud aquilae genus et insignito capite regium. Rostro est ad radicem luteo, deinde uero nigro, nigris unguibus, pedibus pallidis, cruribus uentreque e nigro et candido permixtis, collo fuluo, dorso et cauda nigris ac fuscis, corona cristae nigra. Magnitudinem circiter aequat uulgaris arietis et uel ferocium audaciam animalium, adeo ut homines etiam ipsos, postquam cicurata est, leui ex causa adgrediatur et inuolet, mitescit tamen et aucupio non minus, ac reliqui accipitres, quorum genus uidetur, idonea est atque inferuire solet. Auis digna, quae a regibus aucupibus alatur ac circumferatur. Vilius est *tlacoquaubtli* seu aquila uirgae, frigidas amat pla-

gas, asturis magnitudine, fusca et cinerea, rapax auicularum, murium, lacertarum, colotorum, quibus uescitur. De *nesir* suo ita Leo Africanus: auis est omnium earum, quae in Africa reperiuntur, maxima, grue procerior crasiorque, praedita rostro, collo et cruribus, adeo sublime uolat, ut oculorum aciem effugiat et, conspecto alicuius animalis cadauere supra terram iacente, illico in illud inruat. Raro sola, sed gregatim uolare solet. Longaeva est, nam pleraeque conspectae sunt caluo et deplumi capite, tanquam uulsa fuissent capitis pennae, inde conligere licet, prae nimio senio pennarum defluuium pati, ea de causa suos nidos ueluti recenter natae repetunt, unde a suis pullis educantur. *Coronatae* in prouincia Chiapae habentur, ut apud de Laet in nouo orbe habemus.

Leo Afri-
can. Af-
ricae l.
ul.

II. De Noctuis.

Nieremb.
Hist.
Exot. I.
10. c. 39.
et 40.

Exoticum oti genus *talebicuatli* uidetur. Cornuta auis est siue auriculata, parua corpore, resima, rostro breui, nigra lumine, lutea erubescens iride, fusca et cinerea plumis usque ad crura, atra et in-

curua unguibus. Caetera natura similis nostrati oto. Apud eosdem Americanos *tecoletl* genus est bubonis auriti, spectaculo dignum, nigro et fusco colore uariegatur, huic oculi magni et aurei.

III. De Struthiocamelo.

De Laet
Orbis No-
ui I. 16.
s. 14.

Species quaedam *struthiocamelorum* in Insula Maragnana inuenitur. Proceritate staturam humanam superant et maximae sunt ue-

locitatis. Magis supra terram feruntur, quam uolant. Barbari *yandeu* uocant.

IV. De Psittacis.

Placet hic quaedam de psittacis ex *Hernando, Ximene, Clusio et Nieremberg* adiicere. Ille primus ita scribit de *toznene*: psit-

taci id genus uiridi et luteo colore micat, oculi rubeo, rostrum uero candenti et nigro, fusco pede, sed in candidum inclinante. Propen-

fius

sius est aptiusque ad sermones humanos exprimendos caeteris ac frequentius apud Hispanos. Alterum genus *cocho* uocant uiridi colore, rubro et candenti capite ac minoris molis, quod loquax est nec admodum dissimile praecedenti, etsi sono distet. Hos psittacos uocant Hispani catherinas. Tertium *quilitoton* tinctum uirore, talandriae uocatae aut galeritae non cristatae magnitudine. Frontem candida macula insignitum, rostro candido et nigris pedibus. Humanas uoces imitatur et gregatim cum congeneribus uolat, cum reliqui comparares tantum reperiantur. Omnes uero in excelsis arboribus nidificant. Primum, de quo diximus, genus certas statasque arbores, quas nunquam deserat, eligit, quae, cum in haereditas transeant, dominis illarum haud sunt parum utiles. Sunt et, quas Haitini *quacamayas* uocant, Mexicanenses uero *alo*. Totae rubeae praeter humeros et caudam, quae cyanea sunt et gallinae corticalis nostrae circiter magnitudine, rostro magno candenti et refimo, pedibus nigris ac carne similiter nigra, ex quibus nonnullae offenduntur, quae sermonem humanum doctae aemulentur, rustice tamen et incondite, filiosque suos more aliarum auium domesticarum educunt in domibus, ubi aluntur. Offendas et *alios* uirore dilute tinctos, nigrante rostro pedibusque, humeris et cauda uirore tinctis exsaturato, nec praefatis minores. Viuunt hi iuxta montium cacumina excelsasque pinus. Adclamant uehementer uolantque bini. Sunt et montani incondita forma, qui non cicurantur aut aluntur domi. Nullius eorum caro est edulis, nam et atra est et gustus iniucundi. Omnibus est commune utramque maxillam mouere, quod nulli aliorum contingit animalium. Sunt et alia genera, de quibus alii auctores latius.

Ximenes sic habet de Hispaniola loquens: innu meri sunt psittaci uirides cum purpureis maculis, quorum *tria* in hac insula genera; maio-

res, *mediocres*, *minimi*. *Maiores* ab Indis uocantur higuarae. Hi in eo distant ab aliis reliquarum insularum, quod maculam albam supra rostrum gestent, non uiridem aut miniatam. Valde locutuleiae sunt hae higuarae, si humanos doceantur sermones. *Minores* uocantur *xaxauis* et uiridiores sunt a paucisque interstinguuntur miniatis plumis. Hi inquieti et turbulenti, mordaciores, iracundiores et garruli, licet rudes humanis loqui uocibus, quas nunquam discunt. Decem ex his inuadunt et fugant centum higuararum. Nulla inter hos pax. Diuersis gregibus peruolant, quacunque peruadant, garrunt. Higuarae integriorem et corpulentiorum edunt sonum, *xaxauis* acutiorum et tenuiorum et, licet ignari humanis uocibus loqui, placent tamen in caulis assiduo garritu et inquietudine. *Tertia species minimorum* est nec excedunt passerum mole uiridesque sunt. Hi silent et pacatiorum sunt, uiror duntaxat in illis placet.

Clusii historia haec est. Inter neotericos autem, nemo mea opinione exactius et diligentius de hoc auium genere commentatus est, quam Vlyses Aldrouandus Bononiensis, qui totum librum 40. tomi primi ornithologiae suae ei dicauit, ille enim philosophica methodo tradidit, quicquid ad psittacorum historiam pertinere potest, et quatuordecim diuersas eorum species describit, tredecim uero icones exhibet, quarum duo priores maximae sunt et coruum magnitudine superant, tertia et quarta columbae sunt magnitudine, quinta, sexta, septima, octaua, nona et decima mediocris sunt magnitudinis caudamque breuem habent, saltem non adeo longam, ut tres subsequentes, quae longiore cauda sunt praeditae, decimaquarta breuem etiam habet caudam. Priorem illam elegantem, quae pectoris et uentris pennas flauas habet, tum et eas, quae alas dorsumque tegunt, tum etiam eas, quae in cauda caeruleas, non semel uidere

memini et iconem habeo uiuis coloribus expressam atque illam ipsam esse arbitror, quam Ioannes Lerijs cap. XI. historiae suae Americanae canide a Brasilijs adpellari scribit. Alteram speciem etiam uidere memini in arce Caesaris Ebersdorfiana ad Danubium sita infra Viennam, tum etiam Lugduni Batauorum apud Sionem Lucium Danistam binas aues eius generis, quas postea magno duci Moscouitarum dono mittebat. Reliquae uero species, (praeter tertiam, quae illi alba cristata est, et decimam quartam, quae erythrochloros etiamque cristata) mihi etiam conspectae, dum plerumque aliae ab ipso non descriptae, tam breuiore cauda praeditae et maiuscula corporis mole, quam minoris generis, quae longiores caudae pennas habent et collum uelut torque rubro atque atro ornatum. Humana uerba exacte exprimere solitae, quibus similem unam habuit nobilissimus uir Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius, quam saepe cacchinum humano more extollere audiui, cum ab adstantibus Gallico sermone compellaretur hoc modo: riez perroquet, riez, id est, ride psittace, ride. Sed, quod magis mirum, Gallico sermone etiam subiiciebat illico, tanquam ratione praedita, haud dubie tamen ita edocta: o le grand sot, qui me fait rire, hoc est, o magnum fatuum, qui me ad ridendum prouocat. Illaque uerba iterum ac tertio repetere solebat. Sed inter reliquas unam, psittacis primae speciei magnitudine aequalem apud illustrissimam dominam Mariam de Brimen, ducem Croyam et Areschotensem felicissimae memoriae, priusquam ex Hollandia excederet, cui sane parem in coloris pennarum uarietate et elegantia uidere non memini. Etenim licet omnes fere pennae corpus tegentes rubro colore essent infectae, caudae tamen pennae, quae ualde prolixae, partim rubrae erant, partim caeruleae, at, quae in dorso et alis, uersicolores ex flauo, rubro et uiridi, quibus caeruleus color etiam

permixtus. Caput circum oculos albi coloris erat sinuosisque lineis nigris, quemadmodum caudae caput distinctum erat. Psittacum, qui similis esset, apud nullum auctorem descriptum memini. Ea porro auis Annam illustrissimae ducis neptem, nunc comitem Mergensem et dominam de Grosbetee adeo diligebat, ut, quocumque per conclaue spatia retur, illam subsequeretur nec quemquam uestem eius attingere conspiceret, quin morsu illum adpeteret, ita zelotypia quadam laborare uidebatur. Caeterum psittacus ille maioris generis, quem Lerijs capite supra memorato a Brasilijs arat uocari scribit, ualde elegans etiam esse debet, nam alarum remiges pennas et caudae, quae sesquipedalis longitudinis, media ex parte coccinei coloris esse refert, altera prorsus elegantis cyanei tubo seu neruo, qui medias pennas per longitudinem secat, diuersos illos colores distinguente, reliquas uero totius corporis pennas prorsus caeruleo colore tinctas esse. Addit utrumque genus illud maiorum psittacorum. Arat uidelicet et canide magna esse in aestimatione apud Brasilijs, quia illorum pennas ter quaterue in anno uellunt ad uestem, pileos, clypeos et aulaea conficiendum, tametsi domesticum non sit, quia tamen in uastis arboribus medios uicos occupantibus frequentius uersari solet, quam in syluis. Praeter binos illos ingentes idem Lerijs tria aut quatuor psittacorum genera apud Brasilijs inueniri ait, primum uidelicet etiam maiusculorum et crassiore corporis mole praedictorum, cui *aicurous* nomen indunt Brasilijs Tououpinamboutii, caput ornatum habens uersicoloribus, flauo, rubro et uiolaceo extremis alis suae rubentibus et caudae pennis oblongis et flauis, reliquo corpore prorsus uiridi, hoc genus rarissime ad externos transferri, nullum tamen facilius et perfectius edoceri ad humana uerba pronuntianda, quam istud. Addit etiam, Brasilijs quandam mulierem in pago binis mil-

milliaribus ab insula, in qua ipse cum aliis Gallis habitabat, distante, similem psittacum in deliciis habuisse, qui eo intellectu et ratione praeditus uidebatur, ut comprehendere et discernere posset, quidquid ipsa diceret, quae illum educauerat. Nam, cum, inquit, animi recreandi gratia in illum pagum profecti ante illius mulieris aedes interdum transiremus, compellere nos ipsa solebat his uerbis: uultis mihi pectinem dare uel speculum, et illico efficiam, ut meus psittacus coram uobis cantet et saltet? Si eius petitioni adnuebamur, simul ac quaedam uerba aui pronuntiauerat, psittacus non modo in pertica, cui infidebat, saltare in cipebat, sed etiam garrere, sibilos edere et Brasiliorum ad pugnam sese parantium uociferationes imitari. Breuiter, quando in eius herae mentem ueniebat, ut diceret: cane, canebat, salta, saltabat, sin uero aegre ferens, se, quod petierat, non impetrasse, paulo acerbius aui diceret: auge, hoc est, file, immobilis filebat nec ulla ratione eum ad linguam aut pedes mouendum excitare poteramus. *Secundum genus marganas* a Brasiliensis adpellatur, quale est eorum psittacorum, qui in Europam inferri solent, nec magni apud illos pretii propter abundantiam, non uero minus istic frequentes sunt, quam apud nos columbae. *Psittaci tertii generis* ab ipsis *touis* adpellati maiores non sunt sturno et uniuersum corpus rectum habent pennis impense uirentibus, caudae uero pennae, quae ualde longae, flauum colorem admixtum habent. Illud etiam addebat, se obseruasse, psittacos illius regionis nidos ex arborum ramis propendentes non construere, ut topographicis suis tabellis quidam persuadere conantur, at in arborum cauis eosque orbiculari forma latisque duos ac firmos. Caeterum, cum sub extremum annum Christi millesimum quingentesimum sexagesimum quartum essem Olyssipone apud Sebaldum Linsium Germa-

num Vlmentem, memini, filium ipsius Rodericum ex Fernambuco Brasilianorum, ubi commorabatur, eo adpellere et nauem mercibus onustam aduehere, in qua etiam aliquot mancipia et nonnulli psittaci quartae speciei ab Aldrouando descriptae atque alij etiam minores sturni magnitudinem non excedentes prorsus uiridis coloris pennis tecti, sed omnes breui cauda praediti et albo rostro, idque genus ualde frugibus noxium referebat. Eos in itinere maizi granis aluerat, cuius multas spicas eum adhuc habere obseruabam. In *secunda nauigatione*, quam Bataui in Indiam instituerunt orientalem, in Iaua uicinisque quibusdam insulis psittacos obseruabant longe illis elegantiores, quos e Brasilia aduehere solent, eosque a Lusitanis, qui in Iaua et Moluccis uersabantur, noyras adpellari intelligebant, et illos quidem corporis mole non ualde magnos, sed adeo elegantis coloris, ut uenustiores depingi non posse existimarent. Pectus enim et uentrem pennae rubri coloris floridi splendentisque tegebant, dorsum auri caloris pennae, alas uero uiridis et caerulei commixtorum colorum pennae ornabant, sub alis suae rubens color splendebat. Valde autem ingens erat istic illarum auium pretium, ut non minoris aestimarentur, quam octo aut decem thaleris Germanicis. Linscotius scribit, Lusitanos saepius periculum fecisse, an Olyssiponem transferre uiuum aliquem possent, sed nunquam uoti compotes factos fuisse, quod nimis tenelli et delicatuli sint, Bataui tamen eam industriam adhibuerunt, ut unum uiuum Amsteladam usque retulerint, qui, tametsi non esset e selectissimis, centum tamen et septuaginta florenis eius prouinciae, hoc est, paulo pluris, quam septuaginta thaleris uenumdari potuit, quemadmodum in diario illius nauigationis adnotatum comperio. Is in itinere pleraque uerba Hollandica, quae a nautis audiuerat, pronuntiare didicerat adeo-

adeoque cicurem ipsum eius herus reddiderat, ut rostrum in os et aures eius infereret sine noxa pilosque barbae ipsius componeret, at, si quis alius manum admouere uellet, illico morsu illam adpetebat, haud secus, quam canis quispiam. Anno porro Christi quinto supra millesimum et sexcentiesimum mittebat mihi Iacobus Plateau psittaci cuiusdam iconem uiuis coloribus expressam, cui, cum similem hactenus non uiderim neque apud quempiam adscriptum meminerim, in hoc auctario ad exoticorum historiam typis iam expressam adiunctam uolui. Eum autem se plus, quam biennio aluisse scribebat columbaeque esse magnitudine, caput illud habere pene instar accipitris, eiuscemodi nempe coloris pennis testum, ardentes oculos. Collum et pectus uersicolores pennae obsidebant, quas, cum irascebatur aut molestiam aliquis ipsi crearet, admoto ad caueam, qua conclusus erat, aliquo animali, subrigebat, ut cristatus quodammodo uideretur. Erant autem illae rubescentis coloris et extrema parte caerulei elegantissimi. Ventris pennae similis fere erant coloris, fusco tamen insuper subfusae colore. Dorsi pennae uirides et alarum remiges pennae subcaeruleae, cauda frequentibus pennis uiridibus, sed non longis constabat. Praetermittere nequui, quin psittaci pusillum genus ex Aethiopia locisque Manicongo uicinis, proximis his annis a Batauis naucleris adlatum, simul et maris iconem, foemina uero multo est elegantior, utriusque enim sexus adlatus) lectoris oculis proponerem. Corpusculi molis fringillae magnitudinem aequabat, hoc est, duarum unciarum cum semisse longitudinem habebat ab infimo collo ad uropygium usque. Omnes pennulae corpusculum tegentes uiridis erant coloris, sed in quibus manifestum adparebat discrimen, nam, quae in dorso saturatiores erant, eae in uentre dilutiores. Remiges alarum pennae trium unciarum longi-

nem habebant et, tametsi prona parte, eouidelicet latere, quo breuioribus uillis erant praeditae, quoque sese inuicem tegebant, uiridi saturo colore essent tinctae, altero tamen, quod longiores uillos habebat, et tota supina parte fusci erant. Caudae pennae elegantissimae erant et pene binas uncias longae, paulo minus semiuncia latae, colore ea parte, qua uropygio infixae, uiridi cum flauo permixto tinctae, deinde rubro eleganti, demum nigro, postremo uiridi et tres isti postremi colores ab inuicem distincti, ueluti in quorundam psittacorum uiridium, maiore corporis mole praeditorum, caudae pennis uidere est, istae autem uix conspicebantur, nisi cum caudam explicaret, quia ab aliis eiusdem longitudinis tegebantur, quae prorsus uirides. Collum breue et crassiusculum, plumulae caput tegentes breues admodum et uirides praeter eas, quae uerticem supra rostrum quaeque totum guttur tegebant, nam illae rubrum, elegantem et floridum colorem habebant. De mare loquor, quia foeminae pennulae dilutius rubebant neque tam amplum spatium occupabant, quam in mare. Oculi erant nigerrimi, rostrum crassum et firmum, superna pars adunca et mucronata, ut in reliquis psittacorum generibus. Eius color subrubens, crura breuia semiunciae longitudinem uix aequabant cineraceique coloris squamis erant tecta, ut aliorum uulgarium psittacorum pedes, iique in quatuor digitos diuisi, quorum bini anteriores et imparis longitudinis, bini posteriores et illi etiam impares, breuioribus quidem articulis duobus praediti, hi interni, longioribus autem tribus et hi externi. Ungues albi et satis longi. Valde exilem habere uocem et duntaxat pipire obseruabam. Gaudet consortio. Cum edebat, altero pede cibum non tenebat, ut alii psittaci, sed rostro carptim cibum adripiebat. Cibus autem magna ex parte phalaridis semen

men, illo enim libentius uesci ob-
seruabam, quam ullo alio seminis
genere. Mihi autem quidam con-
specti sunt adeo edocti, ut panem
aqua tinctum carptim morficando
ederent. Potus est aqua. Illud
praeterea in hac auicula animad-
uertebam, quod foemellae fene-
scentes uix edere uolebant, nisi ci-
bum iam a mare carptum et aliquan-
diu in prolobo retentum et quasi co-
ctum suo rostro reciperent, ut col-
lubarum pulli a matre ali solent.

Nieremb.
Hist.
Exot. cap.
63. et 64.

Apud Nierembergium de guaca-
mayan haec leges: *guacamayan* ge-
nus psittaci est pulcherrimi, qui cum
pueris ludit. Incompositae formae
est, solo uestitu in pretio habetur, ne-
que praetermittenda industria et mi-
rificus instinctus huius alitis. In Poto-
si quidam psittacus, quem foris uo-
cant, admirandi ingenii. Vocabat In-
dos obcursantes patriae suae nomine
colla, leuca, huayru, quechua etc.
quasi qui ipsorum mores et uesti-
menti ritus dignosceret. Disimu-
latam Indam nobiliori natu et pe-
ne regio dignouit. Cum uidisset
illam, dixit: huayru, huayru, huay-
ru. Ignobilior ista natio est, quam
illa, cuius generis se simularet foe-
mina. Finxerat se Pallam e regia
stirpe. Matrona partim pudens,
partim irata sputo et maledicto
auem adfecit. Hispali etiam alius
psittacus agnouit medicum indi-
gnum nomine et arte, quem, quo-
tiescunque obcurrerat, conuiuiis
uariis proscindebat e fenestra, do-
nec lite impetrauit medicus, ne su-
spenderetur ibi. Alius psittacus
tabernarii uinarii solitus audire il-
lum domi querentem, uinum non
uendi, quod acetum esset. Didi-

cit haec uerba atque ad ianuam su-
spensus garriebat repetito praeco-
nio: acetum est, acetum est, quod
facile fuit ementibus credere, do-
nec herus madefaciens (aquam e-
nim odio habent hae aues) et casti-
gans psittacum distulit: optimum
merum, optimum merum, quod
psittacus sic animaduersus didicit
et postea ad ianuam identidem pub-
licabat, optimum merum esse.
Multi psittacorum simplicissimi, ut
ad crocitantem psittacum ex arbo-
re, in cuius ramis auceps latet,
multitudo ingens conuolitet ca-
pique facile patiantur, nil enim ui-
so aucupe terrentur, sed, ut laqueo
trahantur ad collum coniecto, expec-
tant nec aufugiunt, uno captato
et in mantica, qua praecinctus est
uenator, ipsis cernentibus, reposito.
Psittaci faciem uniuersim exprimit,
quem quoque cantu ad amussim ae-
mulatur *noyra*, quae ex Molucca-
nis insulis in Indiam importatur,
pennis tamen rubris crebrioribus ue-
lita est. Illarum una uiginti aut
triginta pardauis in India uenit,
quae, postquam cum psittacis et aspe-
ctus amoenitatem et garritus iucun-
ditatem communem habeant, hoc
sibi peculiare quoque uendicant,
quod educatorum suorum aut alias
quoque adstantium capita et bar-
bas, ut et aures dentesque linguis
suis blande defricent aut adlingant,
quas partes studiose quasi ad uiuum
emungunt et emundant, adeo ut
illarum altioribus ex his gesticula-
mentis oblectationis emergat haud
parum. Taceo, quod acutius ad-
tendenti coloris iucunda uarietate
psittacos haud leuiter exsue-
rare uideantur.

V. De Picis.

Nieremb.
Hist.
Exot. I.
10. cap.
48. 49.

Praeter enumeratas picorum spe-
cies dantur adhuc apud Ame-
ricanos duo pici, nempe *salutiferi* et
imbriferi. Ille *heubquecholtotol*
seu auis capiti similis dicitur. Nobilis
est a capitis dolore leuando, Merula
maior est, rostro longo nigroque, sed
inferna parte longe breuiori, uerti-

ce ac pene toto collo desuper ru-
beo, infernis partibus omnino cine-
reis, alis uero ac dorso nigris, sed al-
bis transuersisque lineis uariatis. De-
git Pauatlanicis agris prouinciae To-
tonacapae. Pici species est arbores
perforans, cuius capitis plumae ru-
bescentes adplicatae et congluti-
natae

G g

natae capitis feruntur curare dolorem, siue in eam sententiam uenerint, quod uertici auis adhaerant, siue id ita se habere experimento aliquo deprehenderint. Hic *quatotoni* audit. Vpupae magnitudine et fusco colore uariatur. Rostrium, quo excauat arbores perforatque, tres digitos longum est, firmum et candens et inferne breuius. Caput est paruum ac rubris contentum plumis, crista quoque rubra insignitum ac tres uncias longa, sed superna parte nigra. Alterutro colli latere fascia candida descendit ad usque circiter pectus. Crura pedesque liuida sunt. Viuit non longe a mari australi. *Nidificat* in arboribus excelsis, *uescitur* cicadis, tlaolli et uermiculis, imbrium tempore educat, hoc est a mense Maio usque ad Septembrem, edulis tamen non est nec alium (quod accepe-

rim) praestat usum. Pici Martii datur in Noua Hispania species maxima. Cuius puluis salutaris est hydropicis.

In Noua Galacia *picae* sunt exiles nec passeribus multo maiores, sed tanto numero, ut integram segetem, ubi semel aristis incubuerint, prosternant atque conculcent neque clamore aut aliis terreculentis deterreantur. Est et *pica xochitenacatl* dicta columbae magnitudine, rostro prae corporis mole maximo, superiori parte luteo, inferiori uero subnigro et in purpureum colorem uergente, oculis nigris, sed iride rubesciente ex luteo ac reliquo corpore caeruleo cinereoque. Viuit circa litora Oceani Australis, piscibus, quos, rapit, uesci solet. *Iconem* uide apud Nierembergium historiae exoticae pag. 209.

VI. De Sturno.

Nieremb.
Hist.
Exot. l.
10. 6. 19.

Ad sturnos uidetur pertinere, quae *pterophoenicus Indiarum* et *acolchi* dicitur, de qua sic Nierembergium: alarum inigne commendat acolchichi seu auem humerorum rubeorum impetrauitque ab Hispanis honorificum nomen, qui aues commendadoras illas uocant, quod aemulentur equitum militarium insignia. Simili rubore ad latus fulgentia. Sturnorum, quos Hispani tordos uocant, uideatur species. Magnitudine, colore et forma pares sunt et cum eis ubicunque uersantur, quanquam humeri primo fului adpareant in rubrum uergentes et, cum aetate procescere, in fuluum omnino mutantur colorem. In caueas coniecti uoces reddunt huma-

nas et lepide garriunt. Quauis re oblata uescuntur, sed pane maxime atque Indico frumento. Calidis frigidisque eas aues reperies regionibus ab Hispanis colonis rubeorum humerorum commendadozas, ut dixi, uocatos, sed numerosis agminibus sunt oppidanis admodum molesti eosque audacter incurfant, praecipue regionibus feruidis et maritimis. Malum insuauemque praestant succum et in arboribus non procul ab oppidis hominumque commercio nidificant et fata, in quibus forte confedere, deuant atque depopulantur. Cantant luduntque, seu caueis includantur seu libere per domos permittantur incedere.

VII. De Coturnicibus.

De coturnicibus ita idem Nierembergium: coturnices uocabat Noua Hispania *colin*, quarum genera ex Francisco Hernando dabo. Nostratibus sunt similes, etsi ad perdicum species sint citra dubi-

um referendae. Multa genera apud Nouos Hispanos reperiuntur, nonnulla fusca et cristata, quae *quaubtzonecolim* nuncupant, mediocris magnitudinis, alia fusca quoque, sed cristarum expertia et paulo mino-

minora, alia omnium maxima fuluaque, sed capite albo et nigro colore uariato, extremis uero alis dorsoque candentibus, pedes uero ac rostrum nigra sunt. Hispanis, ut dixi, coturnicibus adsimulantur. Omnia et bono et grato constant alimento, si tamen iugules duobus tribusue diebus, antequam asfa adponatur mensis. Exhibetur earum caro etiam male habentibus nec est apud Indos ulla alia post cohortales, quae illi possit anteferri aut alimenti salubritate aut gustu. Canunt nostratium instar, etsi aliae aliis suauius. Caueis includuntur, uescuntur Indico nostrae frumento et sunt quam plurimis huius plagae locis familiares. Alibi idem auctor de *coyolcozque* seu colli sonali inquit: species est colin seu coturnicis Mexicanae inter quamplures alias, de quibus loquemur seorsim. Ergo coturnicibus uocatis a nostris similis haec est magnitudine, cantu, nutrimento, uolatu et moribus. Sed diuerso colore, qui superne est ex fuluo candidoque commixtus, inferne uero tantum fuluus, etsi uerticem et collum nigricantes albaeque plumae occupent et taenias ab utroque latere adeoque a collo ad utrumque collum efforment atque constituent. Oculi sunt atrii et fulua crura. Indigena auis est campestribusque locis, uelut et nostras, frequens ac simili etiam alimento, quod ad illud perdicis Hispanicae (est enim eius species) proxime accedat. *Colcuicuiltic*

seu coturnicis simulacrum coturnicis quoque nostrae species est albis, nigris coccineisque uariata plumis et protractis desuper potius lineis, quam circumscriptis maculis, subter uero potius maculis frequentibus, quam lineis, pedes cruraque cyanea sunt, sed cantu, magnitudine, moribus caeterisque cunctis praecedenti omnino similis. Sturno est *acolin* magnitudine par, cruribus pedibusque uiridi pallescentibus et in quatuor diuisis prolixiores digitos. Rostrum est luteum et longiusculum pro corporis proportionem tenuaeque et mucronatum, oculi nigri, iris fulua caputque paruum. Inferna corporis candida sunt, lateribus fusco maculatis colore, superiora uero et cauda, quae breuiuscula est, fulua sunt, sed maculis nigricantibus distincta et candidis lineis quasuis pennas circumambientibus eiusdemque coloris punctis nonnunquam conspersis. Lacus incolit piscosumque est nec tamen admodum ingratum praestat alimentum. Vermiculis, muscis et aliis paruis animalibus, quae uolitant circa paludem, uictitare solet. Indigena est Mexicani lacus. Caput mira colorum uarietate micat. Quod medium atra linea secat ac, uelut cinereae aliae latera, maculae uero paruae et candentes canthos externos, collum pectusque cinerea sunt, caetera e fuluo in uiride potius inclinant.

VIII. De Perdicibus.

De Laet.
Ind. Oc.
cid. l. 10.
c. 5.

Sunt in Peruuia perdices, quas a sono *yutu* uocant. Duorum generum. Aliae maiores, quae mole accedunt ad gallinas et tantum in solitudinibus reperiuntur. Aliae minores, quam Hispanienses, sed carne longe optima. Vtraeque sunt

colore pardo, rostris et pedibus albis. Ibidem sunt auiculae plumis rubicundis, quas Hispani ob similitudinem nominant *luscinijs*, quamquam cantus harum sit adeo ingratius, ut mali augurii olim dixerint barbari.

IX. De Turdis.

Nieremb.
H. Exot. l.
10. c. 57.

Genus turdorum Chrappam incolit, quos uocant *passeres*

fabros. Nigri sunt, solum in pectore et capite rubri. Fructu quercino duntaxat.

Gg 2

duntaxat uescuntur. Roſtro perforant corticem pinuum, glandem ſingulis foraminibus aptiſſime adcommodant, ut manu extrahi nequeat, ſic omnem pinum ornatiſſime cingunt glandibus inciſis, mox pedibus haerentes cortici tendunt roſtro glandem et uorant. Alia ſententia Gomarae eſt de paſſeribus, quos uocant Hiſpani *carpinteros*. In Dariene ſcribit naſci palmas, qua-

rum truncus per extrema adtenuatur, in medio nidificare quosdam paſſeres excauato roſtris nido. Hos paſſeres uocat ipſe *pitos* et putat eſſe, quos Plinius picos dixit, Hiſpani fabros. Addit ex aliquorum ſententia, uim recludendi nidos ferro impeditos non eſſe alicuius herbae, ſed ipſius pici, cuius tactu infringi metallum.

X. De Anatibus.

Nieremb.
Hiſt.
Exor. l. 10.
c. 35.

Genus eſt anatis, quam *acitli* ſeu *aquatilem leporem* conſueuerunt uocare Mexicenſes. Haec cum deſcripta delineataque a quibusdam recentiorum eadem proſus eſſet, niſi caput longe maiori inſigniretur criſta atraque, uenter colore argenteo ſplenderet et collum inferne niueo, ſuperne uero e nigro uergente in fuſcum. Lacubus innatat ac iuxta eos perpetuo uerſatur, nam neque uolandi potis eſt neque per terram commodè incedendi, femoribus ita reliquo corpori connexis atque conalitis, ut natatui, non inceſſui queant inferuire. Piſcibus, quos inuolat, *ueſcitur* indeque uiſitat. Prolem in iuncetis atque arundinetis educat nec anatum noſtratum uulgarem uincit magnitudinem. *Maſculus* aliquanto longior eſt corpore, collo ac criſta ampliori. Roſtrum foeminae breuius eſt, nigrum et utrinque iuxta oculos plumis fuluis teſtum, cum maſcandentibus tegatur. Haec eſt auis illa, quam Indi fabulantur uentos euocare, ubi ſe peti ab aucupibus ſentit, quibus ſtantiſque turbatiſque undis euertantur monoxyla illamque inſequentes ſubmergantur, ſi quinque prius ſagittis excuſſis arcu non contingat adtingatque trucidari. In eius diſſectae corde reperiri gemmam arbitrantur ad multa utiliſſimam et maximo habitam in pretio nec alii, quam Deo conſecrandam. Verum hae nugae ſunt et mendacia ab horum hominum proſecta credulitate. Inſuaui parumque ſalubri, uelut et aliae aues paluſtres,

nutrimento conſtat atque ideo a nullo ſagacioris palati in cibos admittenda.

Eſt et apud Indos *genus quoddam anatis ferae*, (hirundinem Hiſpani Indigenae adpellant) *tempatlahoac* domeſticae magnitudine, quare idem uſurpauit apud Indos nomen, roſtro lato eſt et longo undequaque nigrante. Lingua alba, cruribus palmisque ex pallido rubeſcentibus, collo et capite uiridibus, purpureis et nigro ſplendentibus colore, adeoque pauonino aut heliotropiae gemmae, oculi nigri ſunt et pallens iris, peſtus candens, reliquum uero corpus inferne fuluum et binis maculis iuxta caudam utrinque candentibus inſignitum, ſuperne uero ſemicirculus quibusdam in ambitu ex albo tendentibus in fuſcum, intra uero e nigro in uiridem ſplendentem. Alae initio cyaneae ſunt, mox candidae et tandem uiridenti micantes ſplendore, earundem tamen extrema altero latere fuluae ſunt, altero uero fulgida atque uiridia, cauda deſuper ſubtusque per ambitum candet, caeterum inferne nigra, pauonacea uero ſuperne. Aduena eſt lacui Mexicano et, quale aliae lacuſtres aues ſolent praefſtare alimentum. In Aſia quoddam eſt genus anatum, quod non immerito quis inter cornicines retulerit, ita uoce cornuum ſonitum imitantur, quae inſlare ſolent per diſpoſitos equos iter facientium duces. Eſt ea auis, quamuis inermis, audax et ſtrenua, quam etiam malos daemones terrere Turcis perſua-

suasum est, certe libertatis adeo retinens, ut etiam per totum triennium in corte nutrita, facultatem

naſta, libertatem ſaginae anteponat ſedesque naturales et ſuetos alueos uolatu repetat.

XI. De Mergis.

Nieremb.
Hiſt.
Exot. l. 10.
c. 27.

Ad mergorum hiftoriam pertinent mergus Americanus et mergus maximus Farrenſis ſeu Arcticus. Ille exiguis eſt alis, ideo monſtroſa. Hic ita a Cluſio deſcribitur: auis marina eſt et palmpes, anſere domeſtico maior aut certe magnitudine illi aequalis, nam a collo, qua parte pectori coniungitur, uſque ad uropygium binos pedes longa erat, corporis ambitus binorum pedum longitudinem ſuperabat. Alae quatuordecim uncias longae, cauda breuis, uix trium unciarum, collum fere octo uncias longum, eius ambitus paulo maior, caput breue, tres uncias latum, roſtrum nigrum, mucronatum, quatuor unciarum magnitudinem ſuperabat. Lingua pene tres uncias longa, nigra, mucronata, cartilaginea, quodammodo carinata, ſuperiore parte, qua roſtri parti connexa erat, paruis dentibus introrſum recuruis utrinque praedita, media autem parte aſpera, palatum ſimiliter quatuor exiguorum et breuium dentium introrſum ſpectantium ordinibus conſtabat, quibus eſcam retineret et conficeret, nam roſtrum dentatum non erat. Totum corpus denſis pennis teſtum habebat, quae in pectore, toto uentre et alarum ſupina parte breues et candidae, in dorſo autem alarumque prona parte longiores et nigrae, ſingulae tamen circa extremum geminis maculis albis inſignitae, quae in dorſi quidem lateribus longiores maioribus, quae uero circa collum in medio dorſo aliſque ſupra caudam, minoribus, ſic ut aliae aliis incumbentes inuicemque tegentes ad maculas illas uſque eam fere uarietatem repraeſentarent, quae in meleagride ſiue Numidica gallina conſpicitur. Collum, uelut torque cinctum erat enigris pennis conſtante, caput etiam ſimilibus

pennis teſtum, quae tamen oculos et roſtrum ambiebant, paruis maculis albis erant diſtinctae, ſub gutture etiam aliquas paruas pennas albas nigris permixtas habebat, prona ſimiliter colli pars ſupra torquem illum nigrarum pennarum ad unciae longitudinem paruis pennis nigris latera tamen alba habentibus erat ornata, quemadmodum et ea pars, quae infra torquem in pectoris lateribus, infra podicem nigrarum pennarum tranſuerſam lineam habebat, quas albae ſubſequebantur, deinde ſub cauda aliae nigrae albis maculis notatae. Crura habebat in extremo corpore ſita, paulo longiora tribus unciiis, plana, nigra, pedes quatuor uncias longos, plusquam tres latos, nigros, tribus digitis praeditos, (quorum interiores tribus articulis conſtabant breuiioresque erant, medii quatuor, exteriores quinque) nigra membrana ſimul connexos ad ungues uſque, qui plani. Singuli etiam pedes in poſteriore parte paulo ſupra inflexionem paruam articulum inſtar calcaris habebant. Circa Farrenſem inſulam, quae inter Noruegiam et Islandiam ſita, captam hanc auem ſcribebat Hoierus, ſoetum in undis educare nec niſi procelloſo mari ac circa autumnum hiemisue initium conſpici, terram uero nunquam adtingere nec uolantem unquam eſſe conſpectam adeoque nec alarum uſum habere ad uolandum nec pedum ad incedendum, quo fit, ut non niſi capite extet, (eo referente) quando ſe conſpiciendam praebet. Huic non ualde diſſimilis uidetur mergus ille marinus, cuius meminit Geſnerus in paralipomenis ad hiftoriam de auibus pag. 767. niſi illi in dorſo cinereas plumas nigris maculis conſperſas tribueret. Huic ſimilis eſt aqueus lepus, cuius iam meminimus. Iconem uide apud Cluſium.

Gg 3

XII.

XII. De Hirundine.

Besler. in
Gazophy-
lacio Ker.
Natural.

Claudat agmen auis cucullata a-
quatica. *Hirundo exotica*
aquatica et gallinago sylvestris aqua-
tica. Quas in suo gazophylacio
rerum naturalium descripsit et aere
exprimi curauit nobilissimus D. do-
ctor *Beslerus*, amicus noster pluri-
mum honorandus. De illa ita scri-
bit: animal hocce capite monstro-
sum, in aquis natare ex decubitu
naturali conicere licet. Comam,
quam in fronte cernis, ferruginei est
coloris. Ex parte maxillarum plu-
mae flauescences repullulant, quae
in extremitate nigriores factae
circulum egregie repraesentant.
Collum cum uentre albicat, dor-
sum cum alis cineritii est coloris,
extremitas tandem in albas definit
plumas. Pedes cum adnatis mem-
branulis semicirculis distinctis albi-

cant, ubi in quolibet pede unicum
tantum unguem animaduertere li-
cet. De *hirundine exotica aqua-*
tica haec habet: quis non in uo-
lucris palustri summam colorum ua-
rietatem miretur? a capite enim
inchoando superior pars candet,
inferior rubro intermixto caeruleo
colore splendet. Venter inferior
floccorum niuis instar albicat. In
dorsi principio pennae duae nigri-
cantes albis punctis distinctae ex-
surgunt. Alias dorsum uniuersum
una cum cauda ferruginei coloris,
alae quidem nigricant, punctis ta-
men niueis ornamenti instar distin-
guuntur. Pedes exporrecti subfu-
sci coloris, rostrum nigricans ad
subulae formam effigiatum, quo
piscis quasi hamo excipere
solet.

XIII. De Gallinagine.

De gallinagine sylvestri aquati-
ca ita idem paucis: rara
haec est auis in locis paludosis ui-
ctum quaeritans, colore atro et ru-
fo per totum corpus instar holo-

serici splendente, rostrum ob-
longum, quodammodo incur-
uatum, crura alta et fusca,
digitos longos
habet.

Et haec sunt, quae de auibus dicere uolui. Quae omisa sunt, stu-
diosus harum rerum Lector aliunde supplere poterit. CENSO-
RI, cuiuscunque tandem status et conditionis is fuerit, hoc subsequens
inferuiat. *Veritatem ad suum arbitrium exigere et inter mendacia*
reponere, quicquid palato non adriserit, impudentis nimis et in
DEVM, uniuersam naturam et humanum genus
iniurii hominis est.

F I N I S.



In Hi-

INDEX

In Historiam Naturalem de Avibus iuxta feri-
riem alphabeti concinnatus, in quo prior numerus
historiae paginam, posterior tabulam
designat.

	P.	T.		P.	T.
A cacahoatl	191		Anas fera, Gesevogel		49
Acacalotl	191		Anas fera, Spiegelende		49
Acanthis	98	43	Andira aca	216	
Accipiter in genere	11	7	Anhima	220	61
Asterias	13	8	Anhinga	222	60
Fringillarius	13	8	Ani	199	
Palumbarius	13	8	Anser Basianus	135	47
Sacer Aegyptius Bellonio	16	9	Domesticus	143	48
Accipiter maior		11	Magellanicus	190	56
Minor		11	Sylvestris	147	48
Achalalactli	193		Anthus	125	45
Acidil seu aquatilis lepus	236		Apos	121	
Acolchis Indiarum	234		Aquila in genere	1	
Acolin	191		in specie	3	
Acotolouichitl	191		Aquila alba f. cygnea	8	
Aefalonus accipitris species	15	10	Anataria f. morphnos	6	2
Aefalo falconum species		13	Anopaea	8	
Aiaia	208		Chrysaetos	3	1
Aiuru species	210		Bellonii		5
Alauda	100	38	Gesneri		1
Cristata	101	38	Haliaetus	4	2
Cristata senex		38	Heteropus Gesneri	8	5
Non cristata	101	33	Melanaetus f. Valeria	5	3
Maxima seu calandra		38	Alius	4	3
Pratorum	101	38	Morphnos Bellonii	5	4
Alaudae congener	101	38	Morphno congener	6	5
Albulus aquaticus		47	Pernopteros	6	4
Alcedo uocalis	162	52	Alius		4
Alchata seu filacoa	92	32	Alius peregrinus		5
Aluco	46	19	Pygargus	5	2
Amalozque	193		Alius	5	3
Ampelides	129		Aracarl	222	
Ampelis Aldrovandi seu garru- lus Bohemicus Gesneri	40		Aracanga	211	59
Anas	147	49	Ardea	156	50
Campestris Bellonii	62		Minor		50
Cairina	148	49	Cinerea maior	157	50
Domestica	148	49	Minor	157	50
Indica	148	49	Alia f. congener	157	50
Lybica	148	49	Alba	158	51
Anas fere seu sylvestris	149. 218	49	Egretta Gallorum	158	
Bosca maior	149	49	Garletta Italarum	158	
Caudacuta	150		Garzetta bianca dicta	159	
Circia Bernell dicta	150		Squaiotta Italarum	159	51
Fistularis	150		Gongener	159	
Fusca maior	150	49	Nigra		51
Glaucius	150	49	Ardea asteria f. stellaris maior	159	51
Herle	151	49	Altera minor		51
Muscaria	151	49	Congener	160	
Nigra	151	49	Cristata	160	
Penelope	151	49	Ardeola	215	61
Platyrinchos maior	151	49	Arquata	164	51
minor		49	Asilus	118	42
Puffinus	151	49	Asio		18
Querquedula	149	49	Asio f. otus, Otterul	43	18
Cristata	150		Asio f. scops	45	18
La Tardone	151	49	Attagen	59	26
Anas marina, Meerende	49	49	Atricapilla	129	45
			Alia		45